

Turunda hæc singula deligatione, quæ semel vel bis de die repeti potest, extrahatur, æger vulneri incumbat, ut si quid extravasatum in abdomine hæreat, per hanc aperturam effluere possit, quod si factum injectione vulneraria, ubi opus est effluxum juvare possumus.

℞. Herb. Millefol.

virg. aur.

Hyperici.

Sanicul. aa. Mj.

Incis. coq. in s. q. ∇ simpl. colat. ℞. ℥ij. add.

Mellis ros. ℥ij

Essent. myrrh.

— V. theriac. aa. ziß.

M. in singula deligatione semel vel bis tepide injiciatur, ut sic abdomen a sordibus melius purificetur, postquam hæc effluerunt, nova turunda priori similis immittatur, vulneri demum illinatur Bals. Arcæi vel aliud vulnerarium; tandem plumaceoli, emplastrum & splenia imponantur, largaque satis fascia, quæ totum apparatus sustineat, mantile cum suspensorio dicta, vulneri circumducatur. Atque sic quotidie procedendum, donec filum ab omento separatum, & abdomen ab extravasatis mundatum sit, tunc turunda sensim minor fit, & tandem penitus omitteretur, ac solum reliquis medicamentis vulneris consolidatio procuratur, quam continuus, quantum possibile, ægri in vulnere decubitus super pulvinari maxime juvat, ut humores contenti facilius egredi, labia ita compressa melius consolidari atque propter respirationem & motum continuum diaphragmatis, major abdominis extensio, labiorumque subsequens divisio impediatur hocque sic per 12. vel 14. dies observandum.

THES. XV.

Tandem & sequitur *Enteroraphia*, quam fieri diximus in vulneribus abdominis ubi intestina sunt dissecta vel vulnerata. Antequam igitur prolapsa intestina reponantur, prius probe attendendum ut §. X. monuimus num sint læsa, nec ne. Si